



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 36. Quomodo peccet, qui non observat Decreta facta circa  
propositiones damnatas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

quitur, quòd illata secundùm se sit falsa, v. g. præceptum servandi festa non obligat sub mortali, ergo qui per quadrantem laborat die festo, non peccat mortaliter; hoc consequens secundùm se est verum, & tamen rectè infertur ex antecedente falso ac damnato: Item, non tenemur proximum diligere actu interno, est propositio falsa & damnata, & tamen hæc illata, ergo non tenemur omni momento proximum diligere actu interno, est secundùm se vera & non damnabilis.

224 §. IV. Propositio, quæ infertur ex contradictoria propositionis damnatæ, est vera, quia contradictoria propositionis damnatæ est vera, ex vero autem non potest inferri nisi verum, v. g. contradictoria damnatæ est hæc, præceptum servandi festa obligat sub mortali, consequenter illa inde illata, præceptum servandi festum S. Andreæ obligat sub mortali, etiam est vera, videri potest *Carden. in 2. crisi d. 1. c. 4* Circa propositionem, de qua dubitatur, an sit damnata, vide dicenda n. 890.

225 Q. 36. *Quomodo peccet, qui non observat decreta facta circa propositiones damnatas. R.*

§. I. Qui docet vel defendit aliquam propositionem damnatam, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem majorem Papæ reservatam, uti constat ex verbis decretorum: neque in hoc est parvitas materiæ, semper enim grave est resistere doctrinæ Romanæ Cathedræ.

226 §. II. Etiam peccat mortaliter, qui alteri suadet, ut decreta illa non recipiat, uti mortaliter peccat, qui cunque alteri suadet, ut ne obtemperet præcepto graviter obliganti, est enim grave præceptum & obligatio illa decreta recipiendi, uti patebit ex dicendis.

227 §. III. Qui mente non dissentit à doctrina illorum

rum decretorum, sed tantum operatur contra illam doctrinam cum advertentia sufficiente, quod praxis illa sit prohibita, si operetur in materia levi, v. g. si utatur restrictione pure mentali, peccat venialiter, etiam ratione inobedientiae, quia Pontifices in virtute S. obedientiae & sub interminatione Divini iudicii omnibus & singulis praeter doctrinam, specialiter prohibent etiam praxin singularum istarum propositionum: si autem operetur in materia gravi, peccabit mortaliter etiam ratione inobedientiae in hac materia gravi, sicuti si quis furetur contra expressam prohibitionem sui Superioris factam in virtute S. obedientiae, peccat etiam ratione illius inobedientiae.

§. IV. Quamvis aliquis in materia tantum levi operetur contra doctrinam ejusmodi decretorum, v. g. utendo restrictione pure mentali, si tamen simul dissentiat ab ea doctrina, & judicet propositionem damnatam esse veram, aut Pontificem in tali damnatione errasse, peccat mortaliter, quia talis dissensus opponitur regulae fidei, ergo sicuti mortale est dissentiri minimo fidei articulo, ita & hic. Videri potest Carden. in 2. crisi d. 1. c. 15.

Q. 37. An promulgari debeant talia decreta damnantia propositiones, vel ab eis appellari possit. R.

Decreta, quibus damnantur propositiones, spectari possunt, vel ut declaratoria doctrinae perniciosae, vel ut prohibitoria, ne ea doctrina tradatur aut practicetur, vel ut poenalia, in quantum imponunt poenam excommunicationis illis, qui dictam doctrinam tradunt vel defendunt.

§. I. Decreta illa prout declaratoria sunt, si sint Romae promulgata, & id nobis constet, nos obligant, quamvis non sint promulgata hic in partibus, quia quamvis forte ad leges Pontificias requireretur